

turam nimium affigit, resecat eam Deus, ut sic liberi ab eo, demus manus Deo, et ductum ejus sequamur. Sic mariti mortem interpretata est Sancta Melania, que eo mortuo gratias Deo egit et dixit : *Jam expeditus tibi servitura sum, Domine, quia tanto onere me liberasti*, ut scribit Sanctus Hieronymus, epistol. XXV. Ita beatus Borgias mortem conjugis suae lubens tulit, ut liber in religione servire Deo possit.

IV. Bonum filiorum quos prævidet Deus, si viverent, pervertendo aut pejores futuros, adeoque gravius etiam damnanos. Qua de re Psalm. LVII. dicitur : *Priusquam intelligent spinæ vestræ rhamnum sicut viventes, sic in ira absorbet eos*. S. Hieronymus legit : *Priusquam spinæ vestræ crescent in rhamnum*. Paraphr. ita explicat : *Priusquam impii teneri durescant, dum adhuc sunt verba tempestate et turbine destres eos*. Rhamnus spina est maxima et velut arbor, ut ait ibi Theodoretus ; ramos etiam spargit aculeis rectis, non aduncis, ut cedri rubri. Porro verbis illis minitatur Deus Sauli, et ejus asseclis celerem ponam, ut ait Theodoretus : sed in Saule etiam perversis filiis, ne in malitia crescant, et fiant spinosæ arbores, rectis et malitiosis aculeis Deum et homines impetentes, qui prius oblique et timide peccabant. Hos ergo sicut viventes, h. e. celeriter et rapaciter quasi in ira absorbet, sic absorbuit Julianum apostamat, quando is minatus est cathocis persecutionem post redditum suum e Perside instituendam : celesti enim lancea, priusquam rediret, eum confixit. Sic absorbuit Valent. Ariatum imp. et in tugurio vivum excussit, quando is Constantinopoli interitum machinatus est, Baron. ann. 578. Maxime vero id agit Deus, quando prævidet aliquos, si crescerent ætate, pestem reipub. futuros. Quemadmodum Areopagite damnarunt aliquando puerum, quod cornicium oculos crudeliter confixisset; inde enim conjectabant futurum olim immanem et sanguinarium hominem si viveret, teste Quintiliano, lib. V. cap. IX. Hujusmodi spina erat filius Zenonis imp. qui mortuo parente a proceribus regni luxu Sybaritico ad omnem licentiam et libertatem educatus, cœpit jam juvenulus ob expectationem imperii sublimis incidere, et cervices erigere atque ut paucis dicam, inquit Suidas, erga omnes non alium se præbere, quam adversus servos. Verum inspector omnium rerum Deus pertæsus, ob nimiam ejus improbatatem, ita illum multavit, ut alvi profuvio multis dies sine sensu, lectum inquinans, immatura ætate rebus humanis eximeretur. Bene igitur Boetius, lib. IV. de consol. pros. IV. dixit : « Si nequitas miseros facit, miseror sit necesse si diuturnior

nequam : quos infelicissimos judicarem, si non eorum malitiam saltem mors extrema finiret. »

V. Bonum aliorum, maxime complicum et sociorum in perpetratis malis; in quorum cautelam quando Deus rapit unum immatura ætate, ut cœteri sibi caveant. Quando aviculae collidunt, et quasi extra aleam constitutæ cantibus se recreant, contingit subinde, ut accipiter unam ex illis rapiat; tum omnes aliæ conticescent, et subter arborum frondes sese abscondunt atque subducunt, ne et ipsæ rapiantur. Incauta est juventus et prona ad omnis generis vitia, præseritudo quando prava societate juncti sunt. Ergo ut eos compescat Deus, mittit subinde accipitrem illum rapacem, mortem, ut abripiat unum e medio eorum ; quo reliqui perterriti ad modestiam se componant. Cujus rei luctulentum habemus exemplum in filiis Davidis, quos Absalon velut fratres invitavit ad solemnitatem, institutam in tonsura ovium suarum, et regium convivium, II. Regum, XIII. Bibitur ergo, et comeditur liberalissime usque ad temulentiam. Sed en repente consurgit Absalon in Ammonem fraterem et opera servorum suorum illum trucidat temulentum. Quid actum? Hoc spectaculo fili regis omnes conterrati ascenderunt singuli mulas suas, et diffugerunt. Ecur vero? Quia timebant ne et ipsi occiderentur uti Ammonem, quasi Absalon solus cuperet esse superstes, ut patriæ regnum succederet; ne quis alias fratribus præferretur : sicut Turca cum habet prolem, omnes fratres occidit, ne ipsi regnum invadant; ut inquit ibi Cornelius a Lapide. En quam cito horum lætitia in luctum conversa est, unius internectione sopita est! Nemo fere juvenum percelliatur, cum senem vident vel audiunt exfinitum, at si quis floridus adolescens, aut nobilis virgo interiit onnes turbantur ac stupent. In primaria Germaniæ civitate duo sibi proxima ad cœmpterium visuntur sepulera, senis unus; juvenis alterum. Utrumque commune illud Adami et posterorum ejus epitaphium continet : *Et mortuus est*: verum senis tumulus assertive : *Et mortuus est*: juvenis vero interrogative : *Et mortuus est?* Voluit autem hoc discriminare prudens inscriptor, mirum non esse, si senex ille vitæ satur obiit : at vero juvenem illum ætate, forma, viribus, opibus præstantem, nondum viginti annos natum, mortis tam securum, qui velut Parcas decepturus vixit interisse, hoc mirandum esse, hoc dolendum. Refert Jerem. Drexelius noster, in mortis prodromo. Nimirum juvenes, velut nuper ingressi mundum non cogitant de egressu, sed ad multos aspiciunt annos, quos attingere possint. Hinc eorum libertas

et libido vivendi effrenate ex multis obliuione. Propterea frequenter a morte præoccupantur et et intercipiuntur aliqui, ut cœteri discant sapere. Horum unus hodie in conspectu nostro jacet, qui tametsi non invitus, sed bene cum Deo contentus, et ad vitam alteram dispositus ex vita hac discessit, non exiguum tamen adolescentibus aliis timorem injecit, et documentum reliquit, ut ipsi sibi alegendant ne in eosdem mortis casses incident, cum minime expectant, etc.

CONCIO XXXIII.

CUR QUANDOQUE ETIAM JUSTI ACERBA ET VIOLENTA MORTE OCCUMBANT.

THEMA.

Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Sap. III.

Merito S. Ephrem laudat S. Julianum anachoretam, qui dicebat : *Via similis est humana vita et ideo magis consideranda nobis sunt, non quæ in itinere occurrent sed quæ, post viam confectam nobis eventura sunt*, apud Surium in ejus vita, 9. jun. Non affligitur mercator, quod in mari variis tempestatis jactatus sit, modo salvus et incolmis una cum suis mercibus ad propria remearit. Eadem peregrino mens est, tametsi cum in via in prædones inciderit, et multa adversa pertulerit, parum ista curat, si salvus patriam attigit. Idem videre est in hac vita. Etenim si viam hujus vitæ consideremus, continent adversa tam justis, quam injustis, obruuntur ab insperata morte et illi, et isti, cruciantur et premuntur doloribus mortis jam illi quam isti. Denique violenta etiam manu perimuntur etiam sancti et innocentes. Videamus Abelem justum, nonne is cum crederet se comitari fraterem ad expatiandum in agrum, repente et insperato ab eo corruptus et crudeliter obtruncatus est? Nonne etiam prophetæ, apostoli, et martyres diris occubuerent suppliciis? Nonne etiamnum multi probi et innocentes ex insidiis quodammodo a morte opprimuntur? Nonne sœpe et ipsi in flore ætatis rapiuntur? Nonne etiam prius diris sœpe doloribus exagitantur? Ita sane experientia docet. Quare hic observanda est doctrina anachoretae : *Non tam de via, quam de via termino nobis, laborandum esse*; id quod etiam Sapiens monet, Sap. III. *Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est*. Nihil obest justo, si per spinas ad immortalē gloriam eat : et nihil prodest impio, si per

rosas ad gehennæ spinas æternas. Quia tamen nihil sine causa divina statuit providentia, videamus, cur et justi subinde ex hac vita per variis cruciatus, aut diuturnos morbis dolores, Deo sic disponente, transeant ad alteram.

I. Id fit, ut expient peccata levia, quæ forte nondum expiata fuere. Magna vero illis gratia fit, si in hoc sæculo potius, quam in purgatorio a nævis suis expurgentur. Hinc Malach. III. dicitur de Christo : *Purgavit filios Levi; et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum* : Levi Hebr. idem est, quod assupius : talis autem est iuxta id Matt. XXIV. *Unus assumetur, et unus relinquatur*. Ergo etiam assumendi ad cœlum habent sœpe aliquid quod colatione et distillatione indigeat, sicut aurum, et argentum nec dum purificatum percolari in furno, et a scoria depurari debet : *Nihil enim coquinatum intrabit in regnum cœlorum*, Apoc. XXI. Et quid tandem est in rerum natura, quod vel mundum et utile non pressura aliqua indigeat? « Sic enim spicarum grana tribulis attrita aristis et paleis nudantur. Sic oliva prelo pressæ in olei pinguedinem defluunt. Sic botri vinearum tunsi calcibus, in vim liquescunt, » inquit S. Gregor. I. VII. epist. XXXII. Hinc S. Ignatius leonibus objiciendus dixit : « Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. » Joannes anachoreta fratri cuidam suo tertiana laboranti, rogantique ut ab ea liberaretur, respondit : « Rem tibi necessariam cupis abficere, Ut enim corpora nitro vel aliis hujusmodi lenimentis ablununtur a sordibus : ita animæ languoribus aliisque hujusmodi castigationibus purificantur, » apud Ruffinum, in vits pp. Scimus etiam Lydwynam virginem Sciedamensem propter exiguam curiositatem, qua semel invitata ad spectandas in acie lubricationes puellarum, dum spectaret, ab una cum impetu in se delata, in terram prostrata costam fregit, castigata esse, et per varias infirmitates supra annos tringita exanlatas vitam in magna sanctitate clausisse, ex ejus vita 14. april. Maxime vero mirandum, quod narrat Anastasius Sinaita, I. IX. in script. quest. XVII. de anachoreta, virtutibus et prodigiis claro, cuius discipulus in vicinam urbem ad querendum victum in pompam funebrem aliçujus viri opulentí solemnem maximo civium comitatu, condecoratam quoque præsentia epis copi et cleri cum facibus et cantu : deinde regressus ex urbe reperit in cella magistrum suum, ab hiæna interemptum. De hac utriusque defuncti dispari sorte plurimum consternatus Deum obtestatus est, quid tandem id sibi vellet : audiique hoc responsum : « Dividui illam inter

multa scelera unum fecisse bonum opus, cuius præmium reperit in sepultura illa honorifica, scelerum pœnas recepturus in gehenna : anachoretam vero inter eximias virtutes quamdam contraxisse noxam, cuius pœnam luerit ab hiæna laceratus, virtutum præmia in celo accepturus. » Simile quid accidit illi bono prophetæ, qui ab altero seductus, diverterat ad eum et comedit contra interdictum; ideoque leoni ad jugulum traditus est, *U. Reg. XIII.* ut ea morte suum expiatet peccatum. Quo proposito exemplo scribit B. Birgitta, *I. V. revel. inter. I. XIV. q. I.* ex ore Christi: « Quandoque justis flebilis exitus contingit ad majus eorum meritum, ut qui semper per vitam in virtutibus fuere solliciti, per mortem contemptibilem liberi evolent in cœlum. »

II. Ut tametsi nil expiandum habent, digniant ecclœsticæ gloria, eamque mereantur patiendo, si forte agendo non meruerunt. Multi enim non habent vires aut talenta ad operandum pro cœlo: itaque patiendo comparare id sibi debent. Alioquin si id neutra via quæramus nullo jure petere possumus. Quod enim nostro labore non acquirimus, nostrum æstimari non debet. Severus imp. tribuno suorum militum hoc symbolum dedit: *Laboremus.* Pertinax imp. *Militemus*, referente Elio Spart. et Julio Capitol. Porro laborare dicimus non tam operando sed etiam ægrotando. Quid igitur per labores, virium defectu, gloriam consequi nequeunt, possunt ægrotando. Praeclarus quidam bellator Rodoricus de Vivar. Hispanus in domo sua mensam sortium constituisse refertur ab Osorio, conc. *I.* in dom. mfr. oct. ascens. in qua tantum strenui considerant milites, qui egregia facinora in bello perpetrarunt. Cumque in eam mensam se inserere vellet vir quidam illustris Martinus Pelaez, nullo tamen bellico facinore insignis, prohibitus est, donec et ipse talia præstaret facta. In cœlo meri viri strenui sunt, qui aut multa fecerunt, aut tulerunt? Ad quos qui admitti vult, laboret seu faciendo bona, seu patiendo mala. Mirantur aliqui cur in possessione dominiorum, quæ tradidit Deus Judæis in Palæstinam, non numerentur, Exod. *III.* soli Gergesæi, cum recenseantur ali, nimirum Chananaei, Hethæi et Amorrhæi et Pherezæi et Hevæi et Jebusæi. Ubi manent Gergesæi? Respondent Hebraei, quod hi sponte cesserint suis domiciliis. Quia igitur Hebraei in horum expulsione nihil laborarunt, noluit Deus sensere eos in Hebræorum possessione. Eamdem ob causam prohibuit eis spolia urbis Jericho, quia in ejus expugnatione nihil laborarunt, ubas tantum inflarunt, et muros dejecit Deus,

Jos. *VII.* Paulo post vero concessit eisdem spolia urbis Hai, quia hanc manu armata occuparunt, Jos. *VIII.* Denique Hebraei omnes non nisi per multas pugnas et ærumnas, nec nisi per mare rubrum, et Jordanem ingressi sunt in terram lacte et melle manantem. Unde Origenes, hom. *VII.* in *I. Num.* ait: *Non est possibile venire in terram promissionis, nisi per amaritudines transseamus.* Ad Persarum regem nemini patebat accessus, nisi prius quis oscularetur virgam ejus auream, Esth. *V.* Denique ex apostolorum sententia, *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Act. *XIV.* Parvuli soli in Christo renati cœlum sine labore et merito obtinent titulum hæreditatis, a Christo sibi paratae, quia needum pugnare potuerunt. Cæteris laborandum est ac si hostes aliquos quibus luctarentur, non habuerunt, habent saltem mortem, cum quasi diu luctandum eis sit, Dei beneficio id adscribant, qui per hanc viam eos mensa heroum celestium dignos reddere voluit.

III. Ad exemplum bonorum, malorum vero terrorem. Cum enim vident boni cruciatus et simul patientiam justorum, eo exemplo animantur ad fortiter agendum, aut similia patientium. Improbi vero cogitant, si hoc *in viridi ligno facit Deus in arido quid fiet?* Si justi hic tanta patiuntur, injusti nihil sustinebunt? Audiamus Jeremiah, c. *XL.* *Hæc dicit Dominus: Ecce quibus non judicium, ut biberent calicem, bibentes bibent (id est certissime bibent) et tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, h. e. immunis a pœna sed bibens bipes.* Et pupillis et infantibus argumentatur Deus contra improbos. Si enim infantes sæpe immatura et dira morte tolluntur ex hac vita, qui eam meruerunt, quomodo paretur peccatoribus? Quam multi infantes multo tempore luctantur cum morte? Quam multi cum sanctis illis innocentibus gladio pereunt hostili, in aquis et incendio! Et quamobrem, nisi ad terrorem improborum? Flagellatur interdum canis coram leunculo non alia de causa, nisi ut caveat sibi a verberibus leo, adeoque ferociam suam ponat. Pari de causa Deus cruciat interdum innocentes, ut metuant sibi nocentes. Unde S. Ambrosius exclamat serm. *XCII.* « Quanta est circa nos Dei nostri sollicitudo! Illos (martyres) examinat, ut nos erudiat; illos conterit, ut nos acquirat; eorumve cruciatus nostros vult esse profectus. » Et ser. *LXXVII.* « Vide quid martyribus debeamus, in quo alter tortus est, ut alias salvaretur: alter carnificem pertulit, ut Christum alter agnosceret: alter morti adiactus est, ut alias vita potiretur æterna: et ad postremum sanctus occisus est, ut peccator eva-

deret. » Et cur ipse Christus Dominus talia et tanta perpessus, nisi ut quemadmodum ipse dixit ad pias feminas, inde colligamus: *Quasi in viridi ligno hoc facit, in arido quid fiet?* Sanctus Petrus e Dominica familia martyr cum aliquando ex falsa suspicione accusatus pœnas superioribus quasi reus dare cogeretur, ad Christi crucifixi imaginem cœpit amice, quasi filius coram patre conqueri ac dicere: *Ecce Domine, quid feci? An noscis me innocentem? Et cur tamdiu haec infamia notor?* Cui Dominus cum cruce: *Et ego, Petre, quid feci, ut in hanc crucem ager?* Ergo vel exemplo meo tuas ærumnas pati dice. Ad hæc vir sanctus partim solatio, partim rubore suffusus hanc ærumnam suam cœlestem credidit esse favorem, adeoque pluribus et majoribus honorari flagitavit, ut similior Christo fieret, Ribad. in ejus vita, *29. april.* Hæc etiam nobis cogitanda sunt, cum quem cernimus ante mortem diris exerceri doloribus: Christus eum sibi assimiliari cupit, et discipulum suum fieri: quod agnovit S. Ignatius martyr, qui cum ad leones duceretur dicebat: *Nunc incipio fieri discipulus Christi.*

IV. Ne putemus in terra beatitudinem quærendam, et meritorum retributionem esse. Si enim justis omnia prospera et nulla adversa contingenter, mercenaria fieret Dei servitus: et quis non vellet, virtutem sequi, eo dumtaxat fine, ut hic bene semper haberet sed stulta esset hæc cogitatio. Non est enim hic locus triumphandi, sed militandi. Quemadmodum enim duces Romani alibi pugnabant, sed Romæ dumtaxat triumphabant, ita in terra locus pugnæ, in cœlo locus coronæ est. De templo Salomonis, cum strueretur, dicitur, *III. Reg. VI.* *Malleus et securis, et omne ferramentum non sunt auditæ in domo cum ædificaretur.* Causam reddit Abulensis, Lyra et Ribera, lib. *I.* de templo, cap. *XII.* quia lapides et ligna jam foris in monte dolata, secta et aptata erant. Hunc in modum *hic tundimur adversitatibus*, inquit eo loco Eucherius et Angelomus: « Et disciplina veritatis exercemur, ut illie locis juxta meritis congruum disponamur, et castigatione cessante, solo amoris glutino, quo ad invicem copulemur, uno impleti spiru perfundamur. Hic enim foris tundimur, ut illie sine reprehensione inveniamur. Hic malleus, hic securis, hic omnia tunsonum resonant ferramenta: in domo autem Dei nulli ictus audiuntur, quia in æternæ patria omnes jam per eussionum strepitus conticescant. » Quemadmodum ergo Petrus nescit, quid diceret, cum ad Christum dixit in monte Thabor: *Faciamus hic tabernacula tria.* Matth. *XVII.* ita errant etiamnum,

qui existimant nulla hic imminere adversa iis, qui Deo exacte serviant. Mundus hic terra *chabul*, h. e. vilis et lutosa est, seu ut alii vertunt, *non placens*: nee digna retributio est, quam dedit Salomon regi Hiram, pro cedris pretiosis ab eo acceptis. Unde egressus Hiram cum eam aspexisset, contempsit et dixit: *Hæcne sunt civitates quas dedisti mihi frater?* *III. Reg. IX.* Absit ut hinc lutosum pagum eligamus pro cœlesti civitate, cuius plateæ aurum sunt mundum, ut vidit Joannes, Apoc. *XXI.* Graviter reprehensæ sunt a Moyse tribus Gad et Ruben, quod spreta terra promissionis lacte et melle manante elegerint eis Jordanem domicilia sibi struere, et in pascuis propter pecora sua stationem ibi figere, Num. *XXXIV.* Multo magis reprehensione digni sunt, qui cœlo neglecto in terra, ubi animales pascuntur homines, requiem suam quærunt. Latro blasphemus ita despiciuit, ut saltem saam in terra quæreret. *Salva temet ipsum et nos:* ideo cœlum et terram perdidit. Latro vero orans non nisi cœlum expetivit, et ideo mox invenit. Ille oculos in pede, hic in capite habuit, Eccle. *II.* Ille stultus, hic sapiens. Videmus igitur viam ad cœlum variam et ancipitem esse, adeoque solum via terrenum esse observandum. Hunc scopum qui bene tangit, vincit; non qui bene collimat. Octo beatitudines Christus recensuit, sed eur primariam omisit, illam videlicet quam Joannes, Apoc. *XIV.* aperuit, dicens: *Audivi vocem de cœlo dicentem mihi: Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Cur igitur hanc omisit Christus? Respondit cardinalis Cajetanus, Christum recensuisse eas tantum, que sunt viæ ad cœlum. Unam igitur hanc in omnibus intelligendam, si in Domino seu in Dei gratia moriantur. Hæc viarum terminus est. Soli qui in domum Rabab configurerunt, immunes ab incendio fuerunt, reliqui omnes perierunt, Jos. *VI.* Meretrix ea vocatur, quia opera in gratia facta cœlum merentur. Domus ejus muro adhaeret, et portæ civitatis vicina est; quia gratia gloriæ vicinissima recta ad eam promovet eos, qui in gratia obeunt, et ex hoc sæculo abeunt.

His prælibatis ad defunctum nostrum convertimur, et quia intelleximus gravi et diuturne morbo non sine magnis doloribus cum morte luctatum esse, non est, inquam, quod inde conjectemus eum propter hoc a Deo vel punitus, vel, quod absit, abjectum fuisse. Cogitemus potius aurum fuisse quod per ignem purificandum et probandum erat: botrum fuisse in torculari premendum, ut vinum dulce redderet: olivam fuisse, ut ab amurea purgaretur, etc.

CONCIO XXXIV.

CUR SUBINDE JUSTI IMMATURA AETATE E MUNDO
ERIPANTUR.

THEMA.

Placita erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Sap. IV.

Propheta Isaias, c. XXIV. combinat fruges duas suo tempore colligendas, quae tamen sibi invicem non partim adversantur, olivas scilicet et racemos : *Hæc erunt in medio terræ, inquit, in medio populorum : quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea; et racemi, cum fuerit finita vindemia.* Olivæ colliguntur ex olea, racemi ex vite. Sed diverso tempore : olivæ cum adhuc immaturæ et acerbae sunt, botri vero cum dulces et maturi sunt : et tamen et isti et illæ suo tempore leguntur; quia olivæ, ut dent oleum, legi et premi debent, antequam maturescant; botri e contra postquam maturerunt. Botri igitur denotant eos, qui in senecta primo maturi sunt, ad regnum celorum : olivæ vero eos, qui in ætate tenera, jam cœlo maturerunt. Hujusmodi olivam præ oculis habemus : nostra quidem opinione ad olivitatem immaturum, Dei vero sententia plane maturum ad fundendum oleum. Nos arbitramur a morte quidem cœca, per errorem esse prehensum : sed novit illum suo tempore collectum jam idoneum ad cœlum. Docemur hoc a Salomone, qui Sap. IV. ait : *Placita erat Deo anima illius : propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Si placita Deo fuit anima illius, ergo jam cœlo matura fuit. Cæterum, ut præproperam juvem mortem æquiore animo feramus, dispiciamus causas aliquot, cur hac ætate justi et boni adolescentes ex hac vita rapiantur.

I. Contingit hoc sæpenumero ex divino beneplacito, ne si diu in hoc sæculo nequam commorenent, aliquando pervertantur. Testem adduco prædictum Salomonem, qui eodem capite subjungit: *Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est : raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus aut ne fatio deciperet animam illius.* Rationem mox subdit : *Fascinatio enim nugacitatis obscura bona, et inconstantia cupiscentiae transvertis sensum sine malitia.* Hoc est innocentis, q. d. quia juvenes incauti sunt, et rerum sæcularium aspectu facile capiuntur atque effascinantur, ut ab earum amore vix ullis modis abstrahi possint, siveque incident in laqueos dæmonis, idcirco radit eos sæpe Deus ex hoc sæculo, dum adhuc malitia carent, ne per-

eant. Sic hortulanus videns arborum fructus ex horto suo in plateam propendere, non expectat donec maturescant; sed ante tempus colligit, quia novit a pretereuntibus diripiendos, nisi ipse præveniat. Quare optime quidam agricola Hispanus, rogatus cur immaturas fruges ex horto suo portui maris exposito, decerpere, respondit : *Præstat immaturus fructus in mea lance, quam maturus in ore felis.* Metuebat enim ne prædones Mauri, qui illuc vagabantur, eum sibi præripere. Hujusmodi fruges erant innocentes illi, pro Christo occisi. Horum enim aliqui vel a gentilibus parentibus vel a perversis Hebreis nati erant, ut proinde periculum esset, ne si vitam protractassent e numero illorum fierent, qui vociferabantur : *Crucifige, crucifige.* Unde S. Chrysologus, de illis Herodem ita alloquitur : *Non solum non istum puerum non invenisti, sed nec illis pueris aliquid nocuisti; imo inscius, quod illis proderat, hoc egisti,* in serm. de Innocent. Nil mali intulit Joseph fratri suo Benjamino minimo, quando ejus sacco elam inferri sephym jussit, ut inde quasi furti reus comprehenderetur, Gen. XLIV. quia per hoc medium constituit eum retrahere ad se, et majoribus cumulare muneribus; ut fecit. Hunc in modum Deus nonnisi ex amore dat subinde infantibus, aut juvenibus eibendum mortis calicem, ut per mortem ad se trahat: qui forsan ab eo longius discessuri erant. Hoc argumento solabatur S. Hieronym. Paulam de morte filiæ Blesillæ. « Placita, inquit, erat Deo anima ejus, propter hoc properavit eam Deus educere de media iniquitate, ne longo viæ itinere deviis oberraret anfractibus. » Certe gratias agimus illi, qui nos per compendiosam viam ducit vel dirigit ad patriam; ne per communem multis ambagibus, montibus et silvis impeditam et periculosam diu oberremus. Hoc agunt in cœlo primitæ immaculatae, in quarum ore non est inventum mendacium, cantantes Deo canticum novum, quia enim empti sunt de terra alieno præcise, nimurum Christi Domini merito, cui de suo quod adderent, non habebant.

II. Contingit sæpe ex ipsorum merito quo cœlum jam meruere, exiguo licet tempore. Eo spectat quod initio diximus : *Placita erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum.* Præmisserat enim Sapiens : *Consummatus in brevi, explevit tempora multa,* Sap. IV. Quia igitur aliqui in tenera adhuc ætate virtutem ita colunt, ut se totos jam Deo addicant, ejusque se obsequio offerant, contentus hac bona voluntate, et inchoatione Deus, cœlo jam maturos aestimat, et metit, infertque in horreum suum. Hujusmodi fuit Blesilla, de qua paulo ante diximus. « Cum

enim sanctum corpusculum, inquit loco citato Hieronymus, febrium ardor excoqueret, et semianimæ lectulum vallaret circulus propinquorum, hæc in extrema verba mandabat : *Orate Dominum Jesum ut mihi ignoscat, quia implere non potui, quod volebam.* » Annon hæc tam prompta voluntas pro opere computanda sit? Annon una hac voce explevit multam ætatem? *Quanta sane tempora,* inquit idem s. pater, epistol. CCLIV. ad Garinum abb. « Non longævitate, sed longanimitate, non annorum serie vel diecum numero, sed mentis devotione et inextinguibili semper proficiendi desiderio percurrere potuit, tanta sibi in meritis non immerito vindicavit. » Sunt quidam peregrini, inquit Rob. Holcot. in eum Sap. locum, qui peregrinationem faciunt delicate; diu dormiunt de mane et sero cito cubant de nocte; faciunt dietas parvas et visitant curiositates vicinas; et tales sunt necessario tardi viatores. Peregrini sumus omnes in Ps. *Peregrinus et advena sum apud te, sicut omnes patres mei.* Contingit autem quod aliqui diu vadunt, sed tarde; quia diu vivunt, sed remisse, et tarde proficiunt. Aliqui modico tempore vadunt, sed velociter: sicut juvenis intense devotus, qui plus apud Deum meretur in anno, quam unus remisse vivens in decem. Et de tali juvencore moriente verificatur textus, etc. Additumque : « Inter stellas erraticas illa, quæ est humilior, sicut luna, in brevissimo tempore (quia in mense) compleat cursum suum et illa, quæ est altissima, tardissime compleat eursum suum sicut patet de Saturno, qui cursum compleat in triginta annis. Sic personæ humiles motus suos in Deum parvo circulo complent. Personæ vero altæ et nobiles, nisi melius sibi prospiciant in magno circuitu, cum impensis ambulant, et ideo tarde moventur in Deum. » Luna hujusmodi videtur fuisse filius Jeroboami, parentis impii bonus, quem adhuc in vita rapuit Deus : quia ut dicitur III. Reg. XIV. *Inventus est super eo sermo bonus a Domino Deo Israel.* Quis ille sermo? Utique factum aliquod dignum. Unde Vatablus ait : *Aliquid boni in eo inventum est erga Deum Israel.* Existimabant Rabani permisisse eum Hebreos pergere in Jerusalem ad templum, quos pater inde avocare, et ad vitulos suos aureos ducere conatus fuit. Quidquid vero id sit, puer ille in pueritia sua absolvit vitam suam ad salutem, quam pater ejus longa ætate invenit.

III. Contingit interdum ob leves juvem excessus ad aliorum coercendos excessus graviores. Temerarii atque incauti sunt fere juvenculi, nec terrore facile emendantur, ad hæc adeo nihil de morte cogitant, ut fere immortales se

existiment, unde præceptore indigent morte, quæ eos compescat, et mori etiam in juventute posse ostendat; juxta id Ps. IX. *Constitue Domine legislatorem* (Hebr. more, h. e. doctorem) *super eos, ut sciant gentes, quoniam homines sunt.* Mors ergo pro doctore juvenibus maxime proponenda subinde est, ut mortales se esse norint. Exemplum habemus in adolescente illo Eutychio qui dum concionaretur Paulus ad multam usque noctem, somno oppressus e fenestra de tertia contignatione decidit, et mortuus est. Unde factum, ut concio solveretur. Ecce vero? Respondit S. Chrysostomus, hom. XLII. in acta Apost. cap. XX. *Quia præ doctore casus fuit,* inquit. Lapsus erudit adolescentes, ne dormiant sub concione. Cæterum apostolus juvenem complexus, ad vitam revocavit. Memorabile est quod Pierius, l. II. hierogl. scribit de quadam elephante, qui cæterum mitissimus, cum ab insolentibus pueris aliquando procaciter lacessetur, et in proboscideum pungeretur, tandem rapuit unum ex illis, et proboscideum obvolutum sustulit in altum, quasi mox in sublime ejaculatur. Territi hoc spectaculo pueri, vociferari, et pro socio gratiam implorare cœperunt. Itaque quem in sublime vexerat, leniter depositum pueris reddidit. Simillimum quid narratur de elephante Monacensi, (eius detraeta pellis adhuc Monachii inter res admirandas visitur) qui similiiter a pueris vexatus unum corripuit, quasi ad terram allisurus, verum absque noxa in lectulum, quod imminebat officinæ mercatoris, imposuit. Hunc in modum Deus ad correctionem adolescentium vel puerorum quandoque unum rapit et vita, eam tamen vel restituit aliquando, ut Eutychium illum, vel quod ordinarie facit, effert ad cœlum, utpote innocentem, vel si quid expiandum est in puer, deponit prius in purgatorium. Caveant igitur alii petulantiores pueri, ne et ipsi aliquando ex improviso rapiantur: discant evitare non modo gravia, sed et levia errata, juramenta, mendacia, derisiones, sannas, neglectum rei divinæ, oblocutiones et similia; ne doctor ille mors veniat super illos.

IV. Contingit sæpenumero ob parentum bonum; qui vel nimium eos amarent et amando perderent vel propter eos alendos, instituendos, promovendos nimis affligerentur, aut suam ipsi salutem minus impense quererent. Nam quoad primum attinet, amari quidem filii possunt, sed infra Deum tamen. In quo tamen excedunt sæpe parentes, ut docet S. Augustinus, tr. II. in I. ep. canon. D. Joannis. « Quemadmodum, inquit, si sponsus fecerit sponsæ annulum, et illa acceptum annulum plus diligenter quam sponsum, qui